



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

IV. An Christus, Angeli, Cæli ponantur in Prædicamento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

purissimus actus qualis esse debet. 2^o. quia dari posset ens perfectius, illud scilicet cui repugnaret in suo conceptu formali includere aliquid potentiale & perfectibile, quod est possibile & non chymericum, videreturque Deus tale ens debere esse, ergo, &c.

LXXXV. Respondeo 1^o distinguendo illatum: ergo Deus formaliter & sub conceptu suo formali adæquato non est Deus, nego consequentiam: formaliter & sub conceptu suo formali inadæquato, concedo consequentiam; falsa enim est prædicatio, substantia est Deus; pars Metaphysica ut talis, est totum Metaphysicum; ut omnes fatentur. Vnde mirum non est, si ut sic includat perfectibilitatem, potentialitatem, &c. non sit perfectissimus, purissimus actus, &c. nam omnino necessarium est, ut illud, quod non est Deus, includat perfectibilitatem, &c. omnino modo, quo non est Deus; realiter, si realiter; sub conceptu, si sub conceptu tantum, sicque ad 1^{am} probationem consequentiæ patet: ad 2^{am} verò

LXXXVI. Respondeo, tale ens omnino repugnare & chymericum esse, non secus ac omnino repugnat & chymericum est, dari substantiam, quæ præcisè concipi non possit secundum prædicata substantiæ præcisè essentialia. Ex quo ulterius sequitur, repugnare Deum non posse inadæquate ex parte conceptus nostri concipi præcisè secundum quod substantia est.

LXXXVII. Respondeo 2^o retorquendo argumentum in Personam Divinam, quæ non minus est infinita, quam Deus ipse, ab illa tamen abstrahi potest ratio communis univoca Personæ, quæ dicit perfectibilitatem & potentialitatem sub conceptu, non est actus purissimus sub conceptu, &c. licet ex parte objecti sit Deus ipse.

LXXXVIII. Vrgetur 1^o si Deus sub cōceptu suo formali inadæquato includat perfectibilitatem, potentialitatem, &c. vera erit hæc prædicatio, Deus sub conceptu suo formali inadæquato est imperfectus; non est actus purissimus, &c. quod male audit, ergo, &c.

LXXXIX. Respondeo negando, hanc propositionem male audire, æquivalere enim huic, quod non est Deus sub conceptu, est sub conceptu imperfectum, non est actus purissimus, &c. quam facile putarim æquivalere huic propositioni Fidei, quod non est Deus realiter, est realiter imperfectum, non est actus purissimus, &c. Item huic, Verbum ut sub conceptu inadæquato Personæ in communi, est imperfectum, non est actus purissimus, &c. quæ ab omnibus doctis Personam esse Universalem respectu 3. Personarum, admitti debet; vel etiam huic, Conceptus formalis Dei inadæquatus, secundum quod est Substantia, est perfectibilis per conceptum ejusdem, secundum quod est in se, &c. non est actus purissimus, &c. Vbi vides totam imperfectionem cadere in actum Deo extrinsecum, non verò intrinsecè in Deum, in quo tantum esset inconvenientia.

LXXXX. Vrgetur 2^o, saltem sequitur, fore aliquid Deo prius, scilicet Substantiam, ens, &c. sed hoc videtur absurdum, ergo, &c.

LXXXXI. Respondeo distinguendo sequelam, ut antè: sequitur aliquid fore Deo prius sub conceptu & prioritate improprie dictâ non convertibilitatis, non illationis, &c. concedo sequelam. Objectivè & prioritate naturæ, vel proprie dictâ, nego sequelam; hoc quidem foret absurdum, non item prius; quia illa prioritas præcisè oritur ex imperfectione conceptus nostri; & omnino refundenda est in

conceptum ut afficientem naturam inadæquate ex parte actus. Vnde melius, solum sequi diceretur, conceptum aliquem formalem Dei inadæquatum fore modo dicto, priorem alio conceptu formali adæquato ejusdem, in quo nulla absurditas.

D V B I V M IV.

An Christus, Angeli, Celi ponantur in Prædicamento.

LXXXII. Suppono, dubium procedere in hypothesis, quod Deus non ponatur in Prædicamento; aliàs si ponatur, Christum, utpote Deum, poni necesse est. Deinde ulterius supponi debet, dubium procedere de Christo quâ hoc homine. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O I.

LXXXIII. Dico 1^o. Christus quatenus hic homo Physicè, eodem modo, quo cetera individua hominis, ponitur in Prædicamento.

LXXXIV. Probatur, quia nihil obstat, ergo, &c. Probatur antecedens, quia si quidpiam obstaret, maximè esset Subsistentia Divina, quâ terminatur humanitas Christi; sed illa non obstat, ergo, &c. Probatur minor, quia ut dicemus dubio sequenti, Prædicamenta (etiam substantiæ) ordinantur in abstracto Physico, Christus verò ut hic homo in abstracto Physico, dicit solam sinè personalitate humanitatem, ergo, &c.

R E S O L U T I O II.

LXXXV. Dico 2^o in Sententia Adversariorum, qui dicunt, Prædicamentum substantiæ ordinari per concreta, difficulter defenditur, Christum ut hunc hominem Physicè subsistentem, poni in Prædicamento.

LXXXVI. Probatur, quia sicut hic homo, dicit omnia in Individuo & Physicè determinata, ita Christus ut hic homo Physicè subsistens, dicit Subsistentiam in individuo & Physicè determinatam; quæ proinde esse debet creata vel increata, finita vel infinita; sed non 1^{am}, quia alioqui deberent esse in Christo duæ Subsistentiæ, videlicet finita & infinita, quod est hæreticum; ergo 2^{am}, ac per consequens Christus ut hic homo Physicè subsistens, importat determinatè Subsistentiam Divinam Verbi, quæ non magis poni potest in Prædicamento, quam Deus ipse, utpote exclusa, sicut Deus in illa Sententia, per ly finitum, unam è conditionibus prædicamentalibus.

LXXXVII. Nec dicas 1^o, Subsistentiam esse extrâ essentiam naturæ humanæ; sicut infinitudo lineæ extrâ essentiam lineæ; quæ proinde non impedit, quo minus ponatur in Prædicamento. 2^o. Subsistentiam non esse de constitutione naturæ humanæ, sed de complemento, ac proinde conditionem dumtaxat, sinè qua non foret completa, & non poneretur in Prædicamento.

LXXXVIII. Ad 1^{am}. enim Respondeo, Subsistentiam esse quidem extrâ essentiam naturæ humanæ abstractim consideratæ, quomodo, secundum nos, ponitur in Prædicamento; non verò extrâ essentiam illius concretim ut Physicè Subsistentem consideratæ,

sideratè, quomodo dicunt illam poni in Prædicamento: unde ulterius patet ad 2^{am}, videlicet non esse puram conditionem, sed de constitutivo hujus naturæ humanæ ut sic concretim Physicè sumptæ; non secus ac hoc subjectum est de constitutivo hujus concreti.

LXXXIX. Nec inistes dicendo, Christum ut hunc hominem Physicè subsistentem, convenire univocè cum Petro & Paulo, in ratione hominis Physicè subsistentis; nam cum illis tantum convenit univocè in ratione hominis abstractim à subsistentia sumpti, quod evidenter ostendo; quia quodlibet Individuum humanum in concreto subsistens dicit hanc subsistentiam; Christus quidem infinitam & Divinam; Petrus verò & Paulus finitas & creatas, quæ in illa Sententia docente Deum non ponit in Prædicamento, non possunt convenire univocè in ratione subsistentiæ; aliàs finito & infinito simpliciter daretur aliquid commune univocum, quod consequenter negare debent illius Authores; ne alioqui admittere cogantur, Deo & creaturæ dari rationem substantiæ communem univocam, ac per consequens, poni Deum in Prædicamento, quod negant. Neque his contrarium docet D. Thomas 3. p. q. 2. art. 3^o. ajens, *Sic ergo dicendum, quod Christus est in Specie humana, ratione naturæ assumptæ, non ratione ipsius hypostasis*, id est, est in specie humana, ut hic homo abstractim à subsistentia, quomodo fateremur poni in Prædicamento; non ut concretim cum illa, per quod potius Sententiam nostram confirmat, ut patet.

RESOLUTIO III.

c. Dico 3^o. Angeli & Cæli ponuntur in Prædicamento. Vtraque pars est Arist. 5^o. Metaph. Cap. 8^o.

CI. Probatur, quia nihil obstat; habent enim Genus & Differentiam propriè dicta, ergo, &c.

CII. Objicies tamen ex Aristotele 1^o. Metaph. Cap. 26^o. Corruptibile ab incorruptibili differt Genere, id est, Prædicamento, ergo nec Angeli nec Cæli, ponuntur in Prædicamento: probatur consequentia, quia si in aliquo ponerentur, maximè in Prædicamento substantiæ ponerentur; sed non possunt in eo poni, quia ponuntur in eo substantiæ corruptibiles, ergo, &c.

CIII. Respondeo, Aristotelem solum velle, corruptibile ab incorruptibili differre Genere Physico, seu materiâ 1^a. quia fortè materia Cæli differt Specie à materia sublunari; in Angelis autem non est materia; non verò Genere Logico & prædicamentali. Non obscurè tamen ex Cap. 25. colligitur, Aristotelem sumere hic Genus pro Specie, ita ut velit, corruptibile ab incorruptibili differre Specie; nam ibi dicit, *Corruptibile & incorruptibile esse contraria, contraria verò esse diversâ Specie*.

DVBIUM V.

Quomodo Prædicamenta sint ordinanda, an per concreta, an per abstracta.

civ. Sensus dubii est, an in Prædicamento Substantiæ ponatur homo ut concretum Physicum, an humanitas ut abstractum: & in Prædicamento Qualitatis, album, an albedo, & sic de aliis Accidentium Prædicamentis. Hoc præmissis, sit

RESOLUTIO.

cv. Dico, omnia Prædicamenta, tam Substantiæ, quàm Accidentium, solum ordinari possunt per abstracta. Quoad 2^{am} partem, est Scoti q. 2^a. prædicament. in Resp. ad 4^{am}. Item Averse, & Poncii post illum: Cajet. de ente & essentia Cap. 4^o. Scoti. Cap. de Quantitate q. 1. Fonseca. 5^o. Metaph. cap. 7. q. 5. & aliorum plurimum. Prima autem pars tenet à pari. Quare

cv i. Probatur Resolut. pro 1^a. parte (cujus oppositum ab omnibus parum examinatur, & ut certum malè supponitur) Prædicamentum Substantiæ solo eo modo ordinari potest, quo Substantiæ sunt Genus, Species, &c. quidpiam magis & minus commune, superius & inferius, &c. atqui Substantiæ in abstracto, & non in concreto, sunt Genus, Species, &c. ergo, &c. Minor, in qua sola difficultas esse potest (quia major supponitur ex definitione Prædicamenti) patet ex toto Tractatu 2^o. de Universalibus in specie.

cv ii. Confirmatur, Prædicamenta inventa sunt ad distinguendas proprias rerum essentias ab aliis omnibus, sed abstracta illas præcisè significant, ergo maximè ordinari debent per abstracta. Major patet ex præmissis, minor probatur; quia concreta Generis supremi, subalterni, infimi, Speciei subalternæ & infimæ, idem in recto significant, ergo sola abstracta illas præcisè significant, ut consideranti patebit.

cviii. Objicies tamen, in Prædicamento non ponuntur nisi entia completa; sed humanitas non est ens completum, ergo, &c. Probatur minor, quia concurret realiter ad compositionem entis per se, puta personæ; nam homo ut persona, est compositum ex humanitate & personalitate tamquam modo illam perficiente, ergo, &c.

cix. Respondeo negando minorem, ad ejus probationem respondeo, personam creatam non esse ens per se, sed aggregatum per accidens ex natura positiva & duabus negationibus, ut docent Scotistæ. Quod verò humanitas concurret ad compositionem personæ Christi ut humanæ, non facit illam incompletam; quia id non exigit: sic enim dicimus quantitatem in Venerabili Sacramento non esse Substantiam, licet per se existat sine omni subjecto, quia ita existere non exigit. Verum de Persona Christi specialiter in 3^a. parte. Quia tamen in Physica defendemus, subsistentiam creatam esse ens etiam positivè, aliter Respondeo distinguendo minorem: sed humanitas in ratione compositi ex natura & subsistentia, est ens incompletum, concedo minorem: in ratione compositi ex actu & potentia, est ens incompletum, nego minorem; hoc autem modo ponitur in Prædicamento, non isto.

cx. Probatur Resolutio pro 2^a. parte: Prædicamenta Accidentium solo eo modo ordinari possunt, quo accidentia sunt Genus, Species, &c. quidpiam magis & minus commune, superius & inferius, &c. atqui accidentia in abstracto, & non in concreto sunt talia, ergo, &c. Probatur minor ut antè, ex toto Tract. 2^o. de Universalibus in Specie, & confirmari potest, quia in concreto involvunt sua denominata, ac proinde sunt aggregata per accidens, non secus ac *album & musicum*, de quibus Aristoteles 7^o. Metaph. Cap. 6^o. Text. 25^o. dicit esse entia per accidens, ergo, &c. Major patet à definitione Prædicamenti in Genere.

Con-